

et 1. Joan. 5. 20. *Ut simus in vero Filio ejus: hic est verus Deus et vita aeterna etc.*

II. Ex ECCLESIAE DEFINITIONE; quæ in Symb. Nicæno dicit Christum ex Patre natum, genitum, non factum; in Symb. Athan. autem a Patre solo, non factum, nec creatum, sed genitum etc.

III. Ex TRADITIONE PATRUM; inter quos BASIL. Hom. 24. n. 4. cont. Sabel. Ex Patre Filius, non mandato factus, sed ex illius natura genitus: AMBROS. de Fid. Orthod. c. 2. (opp. t. 2. part. 2^a. p. 348.) Vides ergo hoc Verbum bonum Filium Dei esse, quem non aliunde, quam de paterno pectore, et ut ita dixerim, de utero cordis Dei credimus natum (al. *exitisse*). CHRYSOST. Hom. 2. in cap. 1. ad Hebr. n. 3. *Certe si non esset germanus Filius, non ita locutus esset. Quare? Quia germanus ob nihil aliud est quam quatenus est ex ipso..... Nam si est gratia Filius, non solum non est angelis præstantior, sed etiam minor.* EPIPHAN. Hæc. 62. n. 3. *semper perfectus ille Pater est, atque subsistens, ut et perfectus semper Filius, semperque subsistens, vere a Patre genitus.*

IV. Ex RATIONE THEOLOGICA. Sicut Christus in Scriptura dicitur filius hominis, sic dicitur filius Dei: sed fuit verus filius hominis et proprie genitus; ergo et verus filius Dei ac proprie genitus. Item, sicut verus est pater, ita verus est filius: sed in Divinis verus datur Pater; ergo et verus Filius. Denique, Verbum in divinis magis vere ac proprie est filius Dei, quam angeli aut homines just; ergo naturalis omnino ut filius sit, oportet; quia excessus stat in eo quod illi accidentaliter et contingenter, hic substantialiter ac necessario; illi per participationem, hic per naturam; illi per productionem creatam, hic per communicationem increatam, ejusdem substantiæ habeat filiationem.

Prob. 2^a. p. Sicut Filius in Divinis dicitur genitus, sic etiam dicitur unigenitus: Joan. 1. 18. *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris;* Joan. 3. 16. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret;* 1. Joan. 4. 9. *In hoc apparuit charitas Dei, quoniam Filium suum unigenitum misit etc.* Unde illud Joan. 1. 14. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti, nihil diminuit; sed exprimit tantam gloriam esse visam, quanta decebat unigenitum.* Sed ratio unigeniti denotat, unum duntaxat esse filium seu genitum ac consequenter nec plures esse filios, nec Spiritum sanctum esse genitum. Unde cum Symb. Nicænum dicit: *Filium Dei unigenitum;* Symbolum Apostol. habet: *Filium ejus unicum;* inter Patres autem CYRILL. ALEX. L. 23. Thes. (opp. t. 3. p. 239. G.) inquit: *Unigenitus est... quia ipse solus est fructus paternus.* Et paulo infra: *Non est igitur ea ratione unigenitus, quod solus existat, sed quod solus naturaliter genitus sit.* FULGENTIUS ad Obj. 3^{am}. Arian. (opp. p. 56.) respondet: *In illa nativitate vere est unigenitus, in qua sine initio de solo Deo natus est Deus;* et DAMASCEN. L. 1. Fid. c. 9. (al. 8. opp. t. 1. p. 135. A. ed. Venet.) *Unigenitus, quod solus ex solo Patre singulariter est genitus.* Ergo.

Conf. Spiritus sanctus in Scriptura nunquam vocatur Filius; nec dicitur gigni aut nasci, sed tantum procedere: in Symb. Athan. confitemur, Spiritum sanctum a Patre et Filio, non factum, nec creatum, nec genitum, sed procedentem; quod idem Conc. Tolet. XI. in Præf. exponit: ATHAN. ep. 1.

ad Serap. n. 16. CYRILL. GREG. NAZ. Orat. 31. n. 7. EPIPHAN. Hæc. 62. n. 4. — 69. n. 18. — 74. n. 12. negant Spiritum sanctum esse Patris, sive *com-patrem*, aut *confratrem*, sive *filium*, aut *nepotem*; negantque esse Filii, sive *avum*, aut *propatrem*, aut *patrum*, sive *fratrem*, aut *genitum*: denique nec duplex processio ejusdem ordinis est possibilis in Divinis; ubi propter divinitatem suam unus terminus adæquate correspondet principio; nec ratio formalis constituens ac distinguens *generationem* a non generatione reperitur in Spiritu sancto; ergo.

376. Dico II. Ratio, cur processio Verbi sit generatio, non item processio Spiritus sancti, stat probabilius in eo quod *actio* prior sit *perfecte assimilativa* termini cum principio, et Verbum secundum esse personale sit similitudo perfecta, seu *imago Patris*; qualis actio et imago non habetur respectu Spiritus sancti.

Prob. I. Ex SCRIPTURA. Ratio Filii divini in Scriptura sicut recipitur cum ratione Verbi, sic etiam pro eodem plane sumitur cum ratione imaginis. Sicut enim dicitur Joan. 1. 14. *et Verbum caro factum est... et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti a Patre;* et 1. Joan. 5. 7. *Tres sunt, qui testimonium dant in cælo, Pater, Verbum et Spiritus sanctus;* nec non Apocal. 19. 13. *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei;* sic etiam scribit Paulus ad Coloss. 1. 15. *Qui est imago Dei invisibilis;* et ad Hebr. 1. 3. *Qui cum sit figura seu character substantiæ ejus;* nec non ad Philip. 2. 6. *Qui cum in forma Dei esset;* ergo sicut ex hac reciproca acceptione ratio Verbi dari potest pro ratione Filii, sic et ratio imaginis, characteris ac formæ poterit.

II. Ex TRADITIONE PATRUM. Patres eodem prorsus modo ac Scriptura ipsa loquuntur. AUG. enim L. 7. de Trin. c. 2. inquit: *Eo Filius, quo Verbum; et eo Verbum, quo Filius. Quoniam igitur Pater et Filius simul non uterque unus Filius: consequens est, ut Pater et Filius simul, non ambo unum Verbum,* Hæc vero L. 6. c. 2. præmiserat: *Sic enim Verbum quomodo imago: non autem Pater et Filius simul ambo imago; sed Filius solus imago Patris quemadmodum et Filius.* Athan. de Decr. Synodi Nic. ait: *Si omnino Deus est Verbi pater: cur non et hoc, quod gignitur, filius est? Rursus vero Dei filius quis esse possit, nisi ejus Verbum?... Porro cum imaginem appellas, Filium significas: quid enim simile Deo esse potest, nisi orta ex ipso progenies.* BASIL. Hom. 16. in init. Joan. n. 3. ANSEL. in Monol. c. 53. etc.

III. Ex RATIONE. 1^o. Vera ratio generationis in rebus viventibus stat vel in eo, quod *id, quod generatur, a generante procedat ut similitudo ipsius et ejusdem naturæ cum ipso;* vel in eo quod *sit processio viventis a vivente ad representandam naturam sui principii, cum quo eandem naturam habet;* ut S. THOMAS L. 4. cont. Gentes c. 11. scribit. Atqui imprimis actio perfecte assimilativa sui termini cum suo principio habet utrumque; quia vi ejusdem terminus procedit ut similitudo, ipsa autem actio ad principium representandum tendit; eademque eandem naturæ speciem vel identitatem desiderat.

2^o. Formalis terminus processionis divini est hypostasis; quia *emanatio in his inferioribus et in Deo differt, quod in inferioribus terminatur ad essentiam vel substantiam, quæ multiplicatur; sed in Divinis terminatur ad hypostases,* ut D. BONAVENT. in 1. Dist. 3. Quæst. 2. in Resol. dicit, et probat

etiam differentia inter personas humanam et divinam; quarum prior importat in recto naturam, quia humanitas ipsa producta est individua et incommunicabilis; posterior autem importat in recto personalitatem, utpote solam hic incommunicabilem.

3^o. Hypostasis Verbi, quæ generatur, procedit ut similitudo Patris; quia *Verbum est conceptio intellectus; conceptio autem intellectus est similitudo rei conceptæ*, ut D. THOM. p. 1. q. 27. a. 2. asserit: nec minus procedit ad representandam naturam Patris; quia hujus est imago, ut nuper dictum; *imago autem est similitudo ad representandum expressa*, ut Theologi cum AUG. L. imperf. de Genes. ad lit. c. 16. n. 57. et L. 83. QQ. q. 74. docent.

4^o. Verbum est ejusdem naturæ cum Patre, quia eandem numero naturam habet, ut aliunde constat; imo et vi processionis generativæ obtinet, quæ in similitudinem naturæ tendit; ergo ratio, cur processio Verbi sit generatio, stat in eo quod sit actio perfecte assimilativa; ergo cum alia sit actio, qua procedit Spiritus sanctus, hæc ex illius defectu non est generatio. Quamvis enim is eandem etiam numero naturam divinam obtineat, tamen procedit per voluntatem; *Processio autem*, ut D. THOMAS p. 1. q. 27. a. 4. inquit, *quæ attenditur secundum rationem voluntatis, non consideratur secundum rationem similitudinis, sed magis secundum rationem impellentis et moventis in aliquid: et ideo, quod procedit in Divinis per modum amoris, non procedit ut genitum, vel ut filius, sed magis procedit ut spiritus, quo nomine quædam vitalis motio et impulsio designatur*: item secundum hypostasin est amor; amor autem, ut supra ANSELMUS pronuntiat, *contemplanti se non exhibet perspicuam ejus a quo est similitudinem*; et juxta BONAVENTURAM sup. laudatum, *amoris ac nexus non est generari, sed spirari*; ergo.

Conf. 1. Nomen filii, si de vivente rationali est sermo, est nomen personæ; ergo dum in definitione filii requiritur viventis origo a vivente in similitudinem naturæ, illud supra quod cadit in recto denominatio personæ, debet esse similitudo subsistens producta ad representandam naturam Patris; ergo sicut in creatis natura, et in Divinis hypostasis est id supra quod cadit in recto denominatio personæ; sic etiam natura in creatis, et hypostasis in divinis est similitudo subsistens, ad representandam Patris naturam producta. Sed sola ratio Verbi vi suæ originis est similitudo, non autem ratio amoris aut spiritus; ergo.

2. Filiatio Dei adoptiva habetur ex imagine cum Verbo, ut notat CYRILL. cont. Anthropomorphitas c. 6. scribens: *Necesse erat nos, qui filii Dei appellandi eramus, ad imaginem filii potius fieri, ut et filiationis in nobis character exprimeretur*; ergo et filiatio Dei naturalis ex eadem imagine cum Patre, adjectis reliquis conditionibus, est repetenda.

3. Verbum mentis, quod homo se cognoscens format de seipso, esset filius, si assimilaretur perfecte, et foret imago substantialis; ergo quia Verbum Dei perfecte assimilatur, et substantialis imago est, est filius. Confer huc doctrinam D. THOMÆ p. 1. q. 27. a. 2. ad 2. dicentis: *Verbum, quod secundum intelligibilem actionem procedit in nobis, non est ejusdem naturæ cum eo a quo procedit; unde non proprie et complete competit sibi ratio generationis; intelligere autem divinum est ipsa substantia intelligentis: unde Verbum procedens procedit ejusdem naturæ subsistens, et propter hoc proprie dicitur genitum et Filius.*

377. *Nec dicas 1^o.* Similitudo Verbo propria est *intentionalis*: sed similitudo intentionalis ad generationem 1. non requiritur; cum naturalis sufficiat in creatis: 2. non sufficit; cum tantum sit metaphorica, qualis etiam est artificialis, picturæ vel statuæ, generatio autem ad propriam et naturæ similitudinem tendat: 3. non discernit; cum eadem conveniat intellecti essentiali, omnibus Personis divinis communi: 4. ad intentum non facit; cum Verbum sit intentionalis similitudo vel solius Paternitatis, quæ a nobis statuitur principium quo proximum productivum; vel etiam Spiritus sancti et creaturarum, ex quarum scilicet cognitione etiam Verbum procedit.

R. *D. M.* Similitudo Verbo propria est intentionalis, quæ tamen ob identitatem realem Verbi cum natura divina, una sit similitudo Patris consubstantialis et naturalis *C.* quæ ob hujus identitatis carentiam non una sit similitudo naturalis *N. M.* et sub simili distinctione *minor.* exposita, *N. C.* Singulariter tamen ad diversas assumptiones respondeo ulterius. Et quidem

Ad 1^{um}. *D.* Similitudo intentionalis non requiritur in creatis, ubi generatio non fit per intellectum, et ubi producitur ipsa etiam natura *C.* in Divinis, ubi per intellectum fit generatio, et non producitur natura, sed sola ratio Verbi *N.* Filius in sua ratione formali constitutiva debet Patri esse *similis*, et ab eo *productus*: utrumque in creatis habetur per naturam productam, in Divinis autem cum natura non producat, sed sola ratio Verbi aut amoris, utraque similitudo, intentionalis nempe et naturalis, indivisibiliter requiritur, ut ambæ generationis conditiones adsint.

Ad 2^{um}. *D.* Non sufficit, et metaphorica tantum est similitudo intentionalis, quæ caret comite similitudine naturali, ut in exemplis aliisque creatis fit *C.* quæ habet sibi adjunctam similitudinem naturalem, ob consubstantialitatem unius Personæ cum altera *N.*

Ad 3^{um}. *N. Ass. et Rat.* Nec enim cognitio essentialis et Personis omnibus communis est similitudo hujus ipsius cognitionis, nec est producta: quod tantum utrumque Verbo est proprium.

Ad 4^{um}. *N. Ass. et Rat. primam.* Non enim sola paternitas est objectum cognitionis, ex qua procedit, sed etiam divina natura; nec sola est principium adæquatam, quod una per naturam divinam constituitur. *Ad secundam D.* Verbum est similitudo qualiscumque Spiritus sancti et creaturarum *C.* perfecta seu imago, et generationi propria *N.* Ad imaginem enim non sufficit conformitas cum objecto; sed ut sit a prototypo producta, si imago sit *naturalis*, aut illo dirigente ab artifice facta, si artificialis sit: ac præterea ut producta sit ex intentione representandi prototypum.

378. *Nec dicas 2^o.* Ad veram generationem non requiritur *perfecta similitudo*: quæ porro similitudo requiritur, propria etiam est Spiritui sancto. *Primum* patet ex definitione generationis, quæ similitudinem præcise naturalem requirit: *secundum* liquet; quia terminus productus in processione Spiritus sancti 1. dicit relationem ad principium producens; 2. etiam vi suæ processionis accipit cognitionem essentialem Patris, quæ est intentionalis similitudo ejus ac imago; 3. communicat quoque in natura.

R. *Ad 1^{um}.* *D.* Definitio generationis in genere hoc non requirit *T.* in specie, ac divina *N.* Generationis definitio deprompta est a *gentilibus Philosophis*

ex genesibus creatis, in quibus haud alius modus producendi similitudinem substantialem, nisi per naturæ distinctæ productionem, reperitur: hæc vero, cum imperfecta sit, in divina generatione est depuranda ab imperfectio- nibus, talisque nihilominus statuenda, quæ retineat rationem illius for- malem, scilicet productionem veram, similitudinem, et naturam eandem.

Ad 2^{um}. Quoad primum Assertum C. sed N. id sufficere ad generationem; cum requiratur relatio similitudinis, et quidem perfectæ, seu imaginis. Quoad secundum N. Spiritum sanctum vi processionis, ut productio est, accipere cognitionem essentialem Patris: unde et N. hanc esse Patris imaginem; cum intellectus notionalis eandem non producat (quod requiri ad imaginem diximus) sed potius præsupponat. Quoad tertium C. naturam communicari: communicatio autem formaliter non est processio, sed concomitanter se habet, et a processione divina in obliquo connotatur.

379. *Nec dicas 3^o.* Etiam voluntas æque, ac amor dicunt similitudinem in suo termino. Primum colligitur; tum quia omne agens producit sibi simile in forma, per quam agit: tum quia voluntas simpliciter unit se cum objecto amato; voluntas autem infinita infinito modo: infinita autem unio est perfecta identitas amantis cum amato; adeoque plus quam similitudo. Secundum statuitur; tum quia similitudo est principium amoris: tum quia perfectissimus amor amicitiae, qualis est Spiritus sancti, facit vel supponit similitudinem in natura.

R. N. Ass. Intellegendo similitudinem perfectam et cum suis requisitis.

Ad 1^{um}. R. quoad primum D. Omne agens producit sibi simile virtualiter, et secundum proportionem qualemcumque C. sibi simile formaliter, et secundum similitudinem specialem N. Postremum sola potentia assimilativa præstat. Quoad secundum D. Voluntas ex natura sua se unit objecto unione affectiva C. assimilativa sive naturali sive intentionali N. Identitas Spiritus sancti in natura cum Patre non provenit ex principio spirativo aut spiratione, utpote quæ terminum productum et personaliter distinctum exigunt; sed a simplicitate divina, quæ cum termino immanente unitatis identitatem postulat.

Ad 2^{um}. R. quoad primum D. Similitudo est principium amoris objectivum et motivum C. subjectivum et productivum N. Ob similitudinem, imo ob identitatem summæ bonitatis, quam in se invicem Pater et Filius cognoscunt, moventur ad se amandum et ad spirandum Spiritum sanctum: productivum autem hujus principium est voluntas notionalis, potentia non assimilativa termini producti. Quoad secundum R. Spiritus sanctus, dicto mox modo, supponit similitudinem, formaliter autem non facit; quia non est terminus suo principio productivo formaliter similis.

380. *Observe.* Sententia, quæ pro ratione cur processio Verbi sit generatio, assignat *fœcunditatem naturæ*, admitti etiam potest tanquam explicans proprietatem divinæ generationis ac secundariam rationem: simpliciter tamen admittenda nec videtur sententia ipsa, nec fœcunditas hujusmodi, tanquam ratio formalis et proxima generationis. Nam, ut omittam alia, ratio generationis debet importare relationem realem geniti ad generantem:

fœcunditas naturæ autem, seu potentia spirandi, hanc relationem geniti ad generantem non importat, sed relationem spiratoris tantum ad terminum spiratum. Præterea Filius, qua Filius, seu generatio passiva debet realiter produci, generari et distingui a Patre: sed Filius, *ut fœcundus*, seu ut principium spirativum, nec realiter producitur, nec generatur, nec distinguitur a Patre. Denique Pater non constituitur formaliter in ratione Patris per virtutem spirativam Spiritus sancti, sed per generativam Verbi; ideoque formalitas principii spirativi non est ratio formalis et proxima Patris, qua talis; ergo nec formalitas spirativi, seu fœcunditas Verbi, est ratio formalis ac proxima Filii, qua talis; cum hæc, tanquam relationis terminus, deberet habere principium ejusdem rationis.

Accedit postremo quod PATRES Conc. *Florentini* non probaverint Verbum esse Filium, quia habet fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, nec ad conceptum Filii, ut sic, requisierint fœcunditatem: sed e contra probarunt Verbum habere fœcunditatem ad producendum aliud suppositum, quia est Filius; et ad conceptum Filii postularunt, esse omnia, quæ Pater, præter esse Patrem; unde cum Pater in Divinis, præter esse Patrem, sit etiam spirator, etiam Filius spirator esse debeat: si autem per impossibile Pater spirator non foret, Verbum esset perfectissime Filius, quamvis aliud suppositum producere non posset. Sic enim in Litteris unionis cum Græcis (Lab. t. 13. p. 514. E.) definitur: *Quoniam omnia quæ Patris sunt, ipse Pater unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius a Patre æternaliter habet, a quo æternaliter etiam genitus est.* Ex quo facile solvitur, quod a quibusdam tanquam oppositum ex Scheda Latinorum in Collat. ultim. ad Græcos missa adducitur; quodque alii, inserta particula *non*, aut commutata cum pronomine *eum*, dicunt corruptum, nos autem plane in Actis hujus Concilii reperire ac legere non potuimus.

ARTICULUS III.

QUIBUSNAM PROPRIETATIBUS CONSTITUANTUR PERSONÆ DIVINÆ?

381. *Nota.* Præter naturam divinam eandem, unam et communem in omnibus, dari in Personis divinis prædicata alia ac propria, patet ex Personarum mutua inter se distinctione: hinc easdem constitui illa natura et his proprietatibus consequitur, propterea quod *tum* consurgat ex utroque naturæ rationalis individua substantia; *tum* unamquamque personam, simul ac naturam divinam inconvertibiliter possidet, per proprietatem figurari SOPHON. in ep. sub Act. 11. Conc. Constantinopol. III. recitata (Lab. t. 6. p. 861. E.), et ex divina substantia ac proprietate constare JOAN. THEOL. in Sess. 19. Conc. Florent. (Lab. t. 13. p. 279. A.) dixerint. Hanc porro divinarum Personarum constitutionem esse quidem realem ex parte constituti et constituentium, non tamen ex parte modi constituendi, facile intelligitur ex dictis tam de Personis et Relationibus realibus, quam de distinctione rationis tantum inter essentiali et proprietates constituta. Quænam tandem proprietates sint, quæ cum natura hanc constitutionem perficiant,